



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

November.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

Quomodo? afflictione, & mortificatione. Igitur cilicia, & jejunia jugiter amplectamur, unaque, vel altera vice per septimanam rebellibus applicemus corporibus. Quid arma à latere, vel in manibus militum, si nunquam contra inimicos stringantur? Dum sumus in opere poenitentiae, *Psalmos poenitentiales* offeramus Deo contra tentationes carnis. Huic non parcat. Dei Filius toto vitae passus est tempore: Et homo semper in deliciis, semper in voluptatibus! Quae haec similitudo cum Christo?

N O V E M B E R.

Festum omnium Sanctorum triumphantis Ecclesiae.

EXHORTATIUNCULA I.

Fili! periclitamur omni hora! Insidiae sunt undique, & innumerae. *Ad aliquem ergo sanctorum convertere, monet Job patientissimus. Multo plus valet unus sanctus orando, quam peccatores innumeri praeliando.* Origenes. Sapienter & D. Bernardus: *Summopere*

I. Novembris. Sanctorum Omnium. 607

nobis desideranda sunt suffragia Sanctorum, ut, quod possibilitas nostra non obtinet, eorum nobis intercessione donetur.

Instructio meritoria.

Igitur, ut nostro adsint certamini quotidiano Sancti Dei, per septimanam semel eos invocemus per *Lytanias majores*. Tempus suppetit pro deliciis, & oblectamentis sensuum: Cur non & pro veneratione Sanctorum? Exaltat hos Deus: Obliviscitur homo: Quid indignius?

II.

Cur tam modicus hoc tempore Sanctorum numerus? Quia homo non vult serio fieri sanctus. *Sanctitas* juxta Magnum Aurelium *consistit in justitia operibus*. Hæc negliguntur; ideo & tam rari Sancti inveniuntur. O dilecte fili! Deus dedit nobis *posse*: Cur velle deficit? Recordemur, quid nobis Divus Chrysostomus: *Quæ est ista justitia, sanctos colere, & sanctitatem negligere? Primus gradus est sanctitatem diligere; postea sanctos, qui non sancti ante sanctitatem fuerunt, sed sanctitas ante eos;*

CC 4

sine

608 I. Novembris. Sanctorum Omnium.

sine causa enim justos honorat, qui justitiam deserit.

Instructio meritoria.

Accusemus nostram in exercendis justitiæ, & sanctitatis operibus hæctenus commissam negligentiam, & pro salutari satisfactione nobis ipsis imponamus extraordinariam pœnitentiam, Venerabili Patri spirituali pro Benedictione infinuandam. Sic hæc vel actus rigoris, vel vigiliarum, vel abstinentiæ. Si sancti esse cupiamus cum sanctis, major ardeat in nobis zelus Sanctorum Justitiæ, & sanctitatis. Ut accendamus, *Benedicite* intonemus.

III.

R Ident inter tormenta sanctæ animæ, & præ dulcedine spiritûs haud sentiunt miseriam, ærumnas, & dolores præsentis vitæ. Tanta Dei est in Sanctos clementia, ut & in valle lacrymarum jam dederit prælibare delicias vitæ æternùm duraturæ. Sic verè, quod in præfenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate

II. Novembr. Commem. Defunct. fid. 609
tate æternum gloriæ pondus operatur in
nobis. 2. Cor. 4.

Instructio meritoria.

Pro in terreamur nunquam, dum ma-
la patimur hujus malignantis sæculi. Erit
his quoque finis. *Non hîc quæramus
quod nullus Sanctorum obtinuit, imò quod
neque Christus invenit.* Eus. Emiss. Pro
expeditâ imitatione Sanctorum unum S.
Rosarium jungamus ordinario cum illa
Collecta ad Laudes ex Cursu Mariano :
*Sancti Dei omnes! Intercedere dignemi-
ni pro nostra, omniumque salute. V. Læ-
tamini &c. cum reliquis. Sanctorum fi-
des nos servat.* S. Ambros.

Commemoratio omnium De-
functorum Fidelium in Domino
obdormientium.

EXHORTATIUNCULA I.

Conquesti sunt quondam dæmones,
quòd Cluniacenses famuli Deo ad-
dictissimi, suis precibus animas extrahe-
rent plurimas ex ignibus, & purgatorii
tormentis. Inferis hos augeamus do-
lores, fili mi? Quomodo? Quotidiana

Cc 5

cha-

610 II. Novembr. Commem. Defunct. Fid.
charitate, misericordiâ. *Filioli!* rogat
nomine Jesu S. Joannes : *Non diliga-*
mus verbô, & lingua, sed opere, & ve-
ritate. Probatio enim dilectionis est
exhibitio operis. S. Greg.

Instructio meritoria.

Ideò & à nobis instituenda amoris ex-
hibitio per octo dies integros, adeò, ut
nulla transeat dies sine fraterna charitate,
& clementia. Quotidie ergo aut Vesperas
recitemus ex officio defunctorum,
aut aliud opus bonum, maximè supra
mensam exerceamus, memores : *Esuri-*
vi, & dedistis mihi comedere : Sitivi
& dedistis mihi bibere.

II.

Valde gratum est Deo (sic revelatio-
nes Gertrudianæ) ut animas ele-
ctorum suorum orationibûs, jejuniis,
elemosynis, missis, aliisque exercitiis
à flammis, & purgatorii liberemus sup-
pliciis. Dilecte! scimus, quid debeat
mus Deo? Reddamus, & præstemus hoc
complacentiæ obsequium. Majora me-
ruit.

In.

Instructio meritoria.

Verùm & majora obtulerimus, si nostra omnia pietatis opera per Dei gratiam hodie exercenda animabus in purgatorio ingemiscuntibus charitativè applicaverimus, nobis prorsus nihil reservandò. Non perditur, quidquid dilectis, & à Christo tam pretiosè redemptis sponsabus impenditur. Accedamus cœmeterium, & visitandò defunctos, consolemur eos Psalmò *Miserere*, & *De Profundis*. Si defecerit aqua lustralis, provideamus. Quot guttæ, tot gradus gratiæ.

III.

Mirabile Mariæ testimonium. Sic hæc ad S. Birgittam : *Omnes pæne, quæ debentur purgandis pro peccatis eorum per preces meas in qualibet hora aliquò modò mitigantur. Maria succurrere vult, sed non nisi rogata. Chare fili! Accedamus, ut piæ salventur animæ. Dedit Mariam Deus hominibus, & naturæ nostræ in reparationem; inferiori creaturæ in liberationem; sibi in Matrem; demonibus in hostem; deten-*

612 II. Novembr. Commem. Defunct. Fid.
ris in limbo in reparationem. B. Petr.
Dam. O gaudium! Utamur, ut & talem
Assistricem experiamur in pari necessi-
tate.

Instructio meritoria.

Dilectissime! potestne de nobis dici,
quod de primigeniis Christianis? *Vide,*
ut invicem se diligant, ut & pro alterutro
mori sint parati. Tertull. Tanta non pe-
rit amor defunctorum. Paucioribus
contentantur, si constanter, si ardentem
peragantur. Nos in solatium omnium
fidelium defunctorum pro opportunitate
temporis tria S. Rosaria persolvamus
de quinque Mysteriis dolorosis, & locò:
Sancta Maria ora pro nobis, inseramus:
Sancta Maria ora pro eis. In fine ali-
quoties exosculemur terram cum gemitu:
Surgite mortui! Venite! Accipite co-
ronam, quam vobis Dominus preparavit
in eternum.

Festum S. Caroli Borromæi
Archiepiscopi Mediolanensis.

EXHORTATIUNCULA I.

Charitatem discamus benignam à S. Carolo, cujus totum studium consulere indigentibus, utut id præstandum non sine grandi labore. Fili! Ah! quid nos tam angusti sumus animi, & nostri duntaxat corporis curam gerimus? Quæramus primùm Regnum Dei, & cætera adjicientur nobis. *Prima rei dignissima danda foret cura, sed pro dolor! Vix ei obtingit postrema.* S. Xav. Fili! recordemur, quantum valeamus? Quantum & Deus?

Instructio meritoria.

Ut eximamur frivolis, & inanibus curis, ac inordinatis desideriis, in honorem totius ætatis Jesu Christi (ô quàm pauperis!) recitemus 34. *Pater & Ave cum Psalmo: Deus misereatur nostri, & benedicat nobis; illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.* Clamemus dilecte mi! Animorum pericula periculis corporum majora, & cer-

tiora esse videmus. Sed datur remedium : Confugiamus ad Dominum.

II.

ORat Sanctus Carolus : Et en! capulta in eum exploditur. O mirum! non turbatur in oratione, sed pergit, ut salvet inimicum à manu Domini. Quàm absimilis est, ô fili! nostra precandi ratio! Res nihili à Deo nos avocat, & mentem sub precibus turbat. *Non est vir fortis, cui non crescit animus in ipsa rerum difficultate.* Bellè S. Gregorius: Incassum agitur bonum, si ante terminum deseratur : Frustra currit velociter, qui priùs, quàm venerit ad metam, deficit. Orare bonum est; sed orare constanter, sanctum, & perfectum.

Instructio meritoria.

Claudamus oculos, contemnamus respectus humanos, elevemus manus, flectamus liberi, oremus recollecti! O quàm aliter nobis sapient Ecclesia, & Divina obsequia. Ita hodierno studeamus interesse Sacrificio cum repetita sapius tessera : *Vivit Dominus, in cuius conspectu sto, & flecto.* Pro conservanda
mo.

modestia morum, & sensuum addamus
quindecim Ave cum illa formula: *Per
 sanctam & Immaculatam Conceptionem
 tuam emunda cor, corpus & animam o
 clemens! o pia! O dulcis Virgo Maria.*

III.

Quid sibi funiculus poenitentialis de
 collo S. Caroli pendulus? Sic fan-
 cti cum Deo conversantur, & lo-
 quuntur. Quid igitur mirum, si læ-
 tantes dicant: *Nostra conversatio in cœ-
 lis est. Per culpam Deo discordes su-
 mus; Per flagella, & poenitiæ ope-
 ra denuo jungimur cum Eo.* S. Greg.
 Poenitentia fuit, quæ latronem rapuit
 ad regnum. David post flagitium felix
 iterum recipit Spiritum Sanctum. S.
 Chrysostomus. Fili! O chare mi! No-
 stramne differemus?

Instructio meritoria.

Provideamus nobis de tam sancto
 amoris funiculo. Vilis est, si materi-
 am: Pretiosissimus, si vim attendamus
 inde merendi. Quàm sanctum igitur
 opus præstabimus Deo, si ante cubitum
 hoc nos funiculò armatos sistamus ali-
 cui

cui Crucifixo, nostras deploraturi negligentias, ingratitude, & irreverentias: Vel nocturnum testamentum flectentes ad pedes Domini renovaturi. Devotionem hanc nocturnam finiamus psalmo deprecatorio *Miserere & De profundis*. Exemplum dedit sanctus: Sequatur peccator!

Festum S. Leonardi Confessoris ex Ordine S. P. Benedicti Thaururgi in necessitatibus publicis Benignissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

Quærimus fili! Unde tanta vis in carceres, & vincula Divo Leonardo? Respondet ipse sanctus: *Ecce! reliquimus omnia, & secuti sumus te*. Hoc præmium! Hæc merces! Hic honor fugientium è sæculo. Dilecte! & nos sponte captivemur ab eo? Quid stolidius? *Mundo vivere, mortis opus est*. S. Augustinus.

Instructio meritoria.

Amandissime! Quot animæ sunt, quæ à jugo, & servitute carnis, & concupi-

cupiscentiæ liberari clamant, suspirant-
que? Misereamur ergo periclitantium,
& opportuno tempore pro omnibus, si-
ve corporaliter, siue spiritualiter incar-
ceratis *psalmos graduales* recitemus aut
coram Sanctissimo, aut S. Leonardo.
Oratio disrumpit vincula.

II.

Displicuit Regis Clodovæi Aula san-
cto Leonardo; Discedit sponte,
quamvis liberè uti potuisset vitâ dulcio-
re: dicebat sibi Vir Domini: *Melior est
dies una in solitudine, quàm mille anni
in palatiis regum.* O Verbum summæ
Veritatis! Cur non credimus? Cur pub-
licum non fugimus? Quia soli Deo, &
cælo intendere, resistimus. Diligere
Deum, multorum est, verè, & solidè
diligere, paucissimorum. Hinc non
omnibus datur adire Corinthum.

Instructio meritoria.

Quàm insulsus hominum mos! Om-
nibus sese immiscent: De omnibus lo-
qui ambiunt: In omnibus se ut judices,
censores, & Directores gerunt, & exhi-
bent. Et hæc quæ arrogantia? Fili! hos
laque-

laqueos ut feliciter evadamus, in honorem S. Leonardi *duodecim Actus* Circumspectionis Christianæ circa præfata exerceamus vitia adjungendo totidem *Pater. & Ave.* Signemus frontem, os & linguam: & non deerit prudentia, & sensuum moderata cautela.

III.

S Leonardum Rex Clodovæus in Episcopum denominat. Non acceptat Sanctus memor illius Eucherii: *In hoc mundo subjacet minor contumelia, major invidia.* O quàm certum, quò quis pluribûs abundat mundi bonis, eo & majoribus impleri miseris, passionibus, & pressuris; Et tamen quotidie petimus alta?

Instructio meritoria.

Repudiemus honores parùm fidos, & undique suspectos. Sapiùs dum motus insurgunt elationis, aut vanæ complacentiæ, vel stultæ ambitionis, statim procidentes in genua, protestemur, & dicamus: *Domine! non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei &c.* Dein: *Te decet Laus, tibi gloria &c.*
Fili!

Fili! *quid habemus, quod non accepimus? Si autem accepimus, quid gloriamur, quasi non acceperimus?*

Festum S. Martini Turonensis
Episcopi, & Charitatis erga Pro-
ximum perfectæ Speculi cla-
rissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

Non erat virtus, quam non admire-
mur in Sancto Martino. Eminuit
tamen charitas erga inimicum. Hunc
non modò à faucibus liberavit inferni,
sed & à Deo impetravit, ut sibi in Epi-
scopatu succederet, summumque San-
ctitatis attingeret apicem. Et hoc ama-
re non sit? Hoc non seipsum vincere?
Fili! si nobis imperamus, subditos ha-
bet nemo nobis plures. Monarchæ or-
bis effecti sumus. Ubi enim hoc impe-
rium, quidquid extra nos est, rationis
imperio subiectum, imò sub pedibus
captivum tenemus. Plura nec nos pos-
sumus petere, nec ullus in hac vita dare.
En! Regnum Dei, Regis magni, intra
nos!

In-

Instructio meritoria.

Bene S. Augustinus: *Inimicum diligere, tantum Christianorum virtus est.* Quis omnibus (etiam inimicis) omnia fiet? Prævidemus, quòd neque nos. Sed non ita, mi dilecte! Possumus, si volumus, ardenti, fidei, amicabili charitate. In hac sunt funiculi, quibus & aversi attrahuntur animi. Igitur urnulam faciamus, & quoties offensi, vel afflicti fuimus, schedulam injiciamus cum inscriptione: *Deo gratias! Pater dimitte illi.* Oremus singulis septimanis unum S. Rosarium gaudiosum pro inimicis, & persecutoribus nostris. Solvi debent non tam propria, quàm & aliena debita.

II.

MAGNUM Sancto Martino attribuit encomium Ecclesia universalis, dum exclamat: *O ineffabilem virum, nec labore victum, nec morte vincendum; Qui nec mori timuit, nec vivere recusavit.* Fili! nunquid in Divo Martino nostrum cernimus formam? Inspiciamus! Sed non sine sequela. Unicum

cum temporis momentum, quod nobis pandet æternitatem, utinam omnes totius vitæ curas exhauriat! Vivimus, non tam respirando, quam expirando.

Instructio meritoria.

A prandio aliquod assumamus opus manuale cum tessera: *Æternitati vivo! æternitati laboro!* Tempore tœdii, vel nausæ internæ ad res sacras nos citò ipsos excitemus, & ad Sanctissimum Venerabile nos conferamus, recitantes ibi Litanias de dulcissimo Nomine Jesu. *Jesus est mel in ore, melos in aure, jubilus in corde.* S. Bernardus.

III.

MOritur tantus Præsul! Sed quomodò? Indurus ciliciò, & jacens inter cineres super nudam terram, dixitque: *Non decet militem mori non armatum.* Pœnitentiâ, & oratione beatificatur mortis horula. O si nos nunquam sine illis! Nunc vires integræ sunt! Strenuè oremus! Serio pœniteamus! Mors præfens rarò redditur bona, fieri vult, antequam adsit. Tempus non
sup-

suppetet mori discere, cùm moriendum erit.

Instructio meritoria.

Habet & suos S. Martinus discipulos, quos inter & illi, qui singulis feriis VI. Vel sabbathis, ut bonam, quietam, & serenam obtineant mortis horam, nunquam utuntur lecto, aut dulci culcitra; sed humo durâ, nuda, hispida. Imitemur! Cum consensu tamen Patris spiritualis. Vel feriâ VI. aut sabbatho in hunc finem ad noctem abstineamus ab omni cibo calido pro condignâ præparatione ad mortem. Non delitiosi, sed violenti rapiunt cœlum, & mortem triumphant. Hodie oremus pro nobis ipsis *commendationem animæ.*

Festum Patrocini Beatissimæ Virginis Mariæ.

EXHORTATIUNCULA I.

Monet nos hodie S. Joannes Chrysostomus: Quicumque amatis Virginitatem, & vitæ sanctitatem, ad Matrem confugite Domini, ut ejus Patrociniis utilitatem assequamini. Deus ita dili-

diligit Mariam, ut nullam prorsus conferre velit gratiam, nisi per ipsam. O nos temerarios, si Mariam deseramus, & auxilia in creaturis, & hominibus quæramus!

Instructio meritoria.

Non! Non! in homine nec spes, nec salus. Veneremur Mariam per formulam votivam, & Cursum Marianum commendantes ei omnes tum animæ tum corporis necessitates. Certè ô Domina! Cùm te aspicio, nihil nisi misericordiam cerno; nam pro miseris Mater Dei facta es. S. Bern.

II.

MAGNUM revera miraculum, exclamat D. Chrysostronus, fuit beata semper Virgo Maria. Quid enim illâ aut majus, aut illustrius tempore ullo inventum est, aut aliquando inveniri poterit? Et ad hoc non exultet cor filii? Non gaudeat, & jubilet devoti clientis animus?

Instructio meritoria.

Gratulemur Mariæ, & quoties transibimus hujus sacratas Imágenes, toties vel ore, vel mente eam salutemus gratula-

624. Dominica III. Nov. Patrocinii B. V. M.
tulabundi : *Gaude Maria Virgo.* In
Venerationem autem Mariani Nominis
recitemus *Magnificat : Ad Dominum
cum tribular. Retribue. In Converten-
do. Ad te levavi :* cum oratione : *Con-
cede nos famulos tuos quasumus Domine
Deus perpetua mentis & corporis sanita-
te gaudere. Nunquam enim fuit ali-
quis sanctus, vel sancta ita affecta ad sa-
lutem, & omne bonum populi Christiani
sicut Beatissima Virgo. S. Antoninus.*

III.

CHare! quidquid Redemptori no-
stro debemus, idem suô modô de-
bemus & Mariæ Patrocinio. Nam Dei
Filius nobis nihil confert boni, aut mi-
sericordiæ, nisi per manus Mariæ, per
quam & peccatorum consequimur ve-
niam. O felix, cui datum, tantô frui
patrocinio!

Instructio meritoria.

Ne amittamus, ad signa Angelicæ Sa-
lutationis cum omni devotionis, humi-
litis, & Marianæ Reverentiæ affectu
flectamus, matrísque Divinæ potentem
coram Filio imploremus assistentiam.

Clau-

Clausulæ locò subnectamus invocatio-
nem S. Joannis Chrysoſtomi quotidie
orantis : *Ave igitur Mater! Ave cæ-
lum, puella, Virgo, thronus, eccleſiæ
noſtræ decus, Gloria, & Firmamentum,
aſſiduè pro nobis precare Jeſum Filium
tuum, & Dominum noſtrum : Ut per te
miſericordiam invenire in die judicii, &
quæ reſoſita ſunt iis, qui diligunt Deum,
bona conſequi poſſimus, gratia, & be-
nignitate Domini Jeſu Chriſti : Cum quo
Patri ſimul, & ſancto Spiritui gloria, ho-
nor, & imperium nunc & ſemper in ſæ-
cula ſæculorum. Amen.*

Festum S. Æmiliani Abbatis
Magni totius Hispaniæ ex Ord. S. P.
Benedicti.

EXHORTATIUNCULA I.

NAſcitur humili loco, quem tamen
virtute S. Æmilianus reddidit per
totam Hispaniam illuſtriſſimum. No-
bilitas ſolida non multis avorum ceris,
ſed virtutum acquiritur meritîs. Quid
juvat, clarere ſanguinis nobilitate, & ob-

D d

ſcura-

fcurari vitiis? Malum sit omen, nomen
 sine sanctitate, & virtutis amore.

Instructio meritoria.

Si unquam, hodie gratias agamus Deo
 pro beneficio Creationis, Redemptionis,
 Sanctificationis, & Vocationis. In hunc
 finem dicamus Psalmum Eucharisticum:
Benedic anima mea Domino, & omnia,
quæ intra me sunt, Nomini sancto ejus.
 Gratias agere Deo possumus, referre
 non possumus. S. Aug. Ingratitudo res
 peremptiora est, & hostis gratiæ. S.
 Bern,

II.

PER quadraginta annos in ardui mon-
 tis penetralibus secretis, uni Deo
 notus, asperrimum vitæ genus vixit, pas-
 sus aëris, ventorum, & inferorum incle-
 mentiam. Fili! qui placet hæc vita?
 Christiani sumus: Et deliciis emere cœ-
 lum arbitramur? Fallimur. Pro mag-
 no diligi non debet, quidquid conclu-
 ditur sine: Illa appetenda, illa magno-
 pere diligenda, quæ nec inventa trans-
 eunt, nec adepta deficiunt. S. Greg.

In-

norum nostrorum, præsertim eorum, quorum Nomina in S. Baptismo, & die S. Professionis accepimus. Horum festa quoties redeunt per annum, integram pietatis instituamus, atque gratitudinis octavam, attribuendô cuilibet diei speciale aut humilitatis, aut abstinentiæ, aut alterius austeritatis opus. Hæc tamen fiant cum præscitu Reverendi Patris spiritualis, ne vanæ & propriæ imputetur voluntati. Tali cultu, & devotione quis mori timeat?

Festum omnium Sanctorum ex
SS. Ordine Magni Patris Benedicti.

EXHORTATIUNCULA I.

Quanta Confratrum nostrorum in
coelis est gloria! Sed unde? Nonne
quia magna egerunt, & fortiora susti-
nuerunt pro Christo in terris? Ad parem,
mi fili! triumphum invitamur; at non
sine pugna, non sine certamine, & luctâ.
Spes mercedis sudorem abstergit opera-
rio, & Dei, ac Sanctorum memoria æ-
rumnis, aliisque conflictationibus non
eruat amatorem? Ubi amatur, ibi non
labo-

XIII. Novembr. Sanctorum Benedictin. 629
laboratur. Amor nomen difficultatis
erubescit.

Instructio meritoria.

Sancti volunt honorari. Fiat! gratulemur ergo toti Familiæ Benedictinæ in cœlis hodie triumphanti, & ut suum Beatorum augeat numerum, Lytanias de omnibus Sanctis tam dilecti Deo Ordinis recitemus ex libello Trithemii. Si non habeatur, substituuntur Lytaniæ majores. Apertum est cœlum, ut preces suscipiat humilium. Optamus de inimicis victoriam? Viribus haud obtinebimus. Hostis noster est spiritus, tot victoriis clarus: oremus! Triumphabimus.

II.

CUM sancto sanctus eris. Fili dilecte! Sumus inter tot, & verè innumeros Sanctos. Sanctitatis tamen nomen adhuc ignotum nobis. Vera sanctitas tribus absolvitur. *Abstine, sustine, aggredere.* Abstineamus à noxiis: Sustineamus mala vitæ præsentis. Aggrediamur generosè acta, & opera Christianæ virtutis. Quàm brevis via ad gloriam sanctitatis. Durior sanè est impietatis.

D d 3

In-

Instructio meritoria.

Velle sanctitatem, jam sanctitatis initium est. Exercitia pietatis nostræ quotidiana hodie tam accuratè, & fervidè peragamus, quasi forent ultima, & ipsa sanctitatis complementa. Pro felici eorum successu implorabimus antecedenter semper assistentiam Spiritûs sancti per hymnum : *Veni S. Spiritus cum tribus Ave* ad SSS. Trinitatem pro illuminando intellectum, accendendo voluntatem, & roborando memoriam.

III.

FRustra speramus, nos fore sanctos, nisi & Sanctorum sequamur relicta virtutis exempla. Non sufficit, eandem cum tanto sanctorum numero profiteri S. Regulam, & Religionem, portare habitum & coronam, nisi & eandem colamus virtutem. *Nihil nobis prodest, quòd lex est bona, si vita nostra, & conversatio non est bona.*

Instructio meritoria.

Discamus proin ab uno dilectissimorum SS. Confratrum humilitatem : Ab alio patientiam : Ab illo silentium, ab hoc

hoc mansuetudinem, & misericordiam:
 Renovationem S. Professionis hodiernæ
 Sacramentali Communioni subjunga-
 mus, rogitantes à Deo Eucharistico: *Je-
 su! da nobis duplicem spiritum: Spi-
 ritum tuum, & spiritum magnum Benedi-
 cti, ac filiorum ejus. Te Deum Lauda-
 mus.* Et quia cras celebrabitur com-
 memoratio omnium defunctorum fratrum,
 & sororum Sacri Ordinis Benedictini,
 per octo dies recitemus quotidie Vesperas
 ex Officio defunctorum. Vera dilectio
 superos, & inferos lustrat benefa-
 ciendò.

Festum Beatissimi Stanislai
 Kostkæ è Societate Jesu Juvenis An-
 gelici, Innocentiæ speculi.

EXHORTATIUNCULA I.

Innocentiam amat Maria. Hæc &
 innocentem parvulum, suum Stanis-
 laum ad inclytam vocavit societatem,
 ubi assiduò poenitentiae, & mortificatio-
 nis exercitiò illibatam conservavit puri-
 tatem. Pietas, mundi contemptus, &

sensuum mortificatio nos jungunt, & uniunt Deo, & Mariæ.

Instructio meritoria.

Sinite parvulos venire ad me, rogat Innocentiæ Salvator, Christus Dominus. Ut ergo in Gymnasiis, Lycæis, atque publicis scholis flos innocentia, & puritas vitæ Scholarium solidè implantetur cordibus, officium de Beatissimo Stanislao oremus, vel si non ad manus, officium Immaculatæ Virginis Mariæ. Inter lilia suas quærit delicias sancta Innocentia.

II.

IN domo probationis eâ vixit in poenitentia Beatus hic Juvenis, quasi omnium foret sceleratissimus. Hoc iudicium humilitatis est. Chare! nil minus, quàm nostra attendimus vitia. Hinc rara, aut modica poenitentia. Prudenter Seneca: Initium salutis est cognitio peccati. Id quod & S. Anselmus confirmat: Cognitio suæ infelicitatis, est summus ad felicitatem accessus. Noscamus ergo nos ipsos: Et sancti vivemus.

Instructio meritoria.

Ecce cognitio sui quàm necessaria homini ! Ne desit nobis, vel in templo, vel in cubiculo nos prosternamus, & prostrati pro dono, & gratiâ cognitionis propriæ supplicemus commendandò per *sex Pater & Ave* SSS. Trinitati tres animæ potentias, intellectum, voluntatem, & memoriam cum psalmo: *Domine ! Non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei*: Quantò quis minus se videt, tantò minus sibi displicet. S. Gregorius.

III.

BEatus Stanislaus divinò amore ita ardebat interdum, ut appositis mandentibus linteis, ardorem pectoris amantis temperari necesse esset. Hoc demum, & amoris incendiò consumptus, vitam sanctè finiit. Mori suaviter cupimus ? Multum diligamus. Chare ! esse sinè delectatione anima tam parùm potest, quàm corpus sinè respiratione: aut infimis illa delectatur, aut summis. Quid nos abjicimus ad infima, qui nati sumus ad summa ? Quæ major quàm in summo

D d 5

Bono

Bono delectatio? O dulcis hora, quâ se
Deus communicat animæ!

Instructio meritoria.

Ut Religiosæ familiæ acquirant è suis
candidatis plures, & puritate, & morum
sanctitate insignes Stanislaos, recitemus
officium de Spiritu Sancto. *Spiritus
sancti templum sumus!* S. Ambros. Pel-
limus cordis immunditie. Princeps sæ-
culi non habitabit cum fordibus: & De-
us contentus sit? O nostram inurbani-
tatem!

Festum S. Leopoldi insignis
Austriæ Patroni.

EXHORTATIUNCULA I.

Optimus Princeps, qui sibi potens
Leopoldus talis fuit, qui & sibi, &
aliis imperavit sanctissimè. Præesse vo-
lumus? O rem omnium maximè labo-
riosam! A nobisipsis incipiamus. Re-
liqua commendemus Deo, & provido
cælo. O fili! multi præsumunt aliis. At
sibi cum candela deficiunt. Et hos re-
putemus magnos? Nobis sit maximus,
qui

qui sollicitam habet sui curam; qui & magnus in Dei oculis.

Instructio meritoria.

Ne turpis ambitio cor nostrum præcipitet, excelsas abjiciamus cogitationes, intra Jesu (ò quàm humilis!) obscondamus vulnera, & pro acquisitione propriæ displicentiæ Crucifixum de die sapius exosculemur, cum omni affectu recitantes officium de dulcissimo Corde Jesu, Fons est! hauriamus aquas salientes in vitam æternam.

II.

D Leopoldus omnis pompæ, & mundanæ vanitatis inimicus, compositus, & pudicus, virtuosos honorabat præmiis, inquietos, & insolentes terruit, & repressit suppliciis. Et hæc est semita, quâ incedere solent Sancti. Non sequemur? Fili! necdum virtutem amplectemur, & justitiam? Vel quando oderimus iniquitatem, ac morum immodestiam? Lassati sumus in via iniquitatis: & ultrà serviamus?

Instructio meritoria.

Est hominum duplex genus: Piorum;

D d 6

&

& verè quærentium Dominum; iniquorum, & odientium eum. Illi ut in sanctitate crescant; hi autem ut recedant à via perditionis, offeramus Deo per manus S. Leopoldi S. Rosarium de Doloribus B. V. Mariæ, memores præfertim Austriæ aliàs devotissimæ, Meritò colitur, cujus auxiliûs, & assistentiâ indigemus quotidie.

III.

MEdias inter delicias, atque divitias erat S. *Leopoldus* nitidissimum temperantiæ, pudicitia, & modestiæ angelicæ speculum. Ita legitur in vita S. Leopoldi. Ecce! fili! nullibi deest occasio virtuti, & interiori recollectioni. Inter pericula non amittere, vel potius augere pietatis meritum, ars artium est. Ut nummicola non est Christicola; ita, qui rebus in creatis venatur gaudia, in coelestibus haud inveniet. Spernamus terrena! spernemus *nihil*. Non carebimus gaudiis; sed commutabimus.

Instructio meritoria.

Temperantia, puritas, & modestia ò quàm regiae virtutes! Abundant earum

occa-

occasiones! captemus avidi! participes
 ut igitur nos reddamus virtutum adeò
 nobis pro æternitate decertantibus ne-
 cessariarum, de qualibet exerceamus
 actus quatuor in specie, eosque vel in
 libello vitæ spiritualis annotemus, vel
 urnulæ injiciamus complicatos in sche-
 dulis. Pro augmento temperantiæ, pu-
 ritatis, & modestiæ quotidiano adda-
 mus *duodecim Pater & Ave cum toti-
 dem Gloria Patri &c.* Si Beata Trini-
 tas non dederit, quod optamus, unde
 sperabimus? Oremus ergo fili! Habe-
 mus bonum Patrem, Advocatum in
 Christo Jesu, Protectorem in Spiritu
 Sancto.

Festum S. Edmundi Episcopi
 Cantuariensis.

EXHORTATIUNCULA I.

Jesum Sodalem, Mariam meruit Spon-
 sam, & adamavit Edmundus: Quid
 meliùs optabimus, ò fili! est nobis Je-
 sus à latere: Est & Maria à facie: & non
 agnoscimus? Quærimus amicos: Ad-
 sunt nobis! Teneamus. Amicitia ve-

D d 7 ra,

ra, quia bonum hominis maximum, non potest nisi ab optimo impetrari. Amicitia cum homine opprobrium fit plerumque veræ. Jesus, & Maria nesciunt mutabilitatem. His & adhæreamus, & quondam immori instanter petamus.

Instructio meritoria.

Confirmemus pactum cum Jesu, & Maria contractum, & quotidie ante meditationem de manè præmittamus Lytanas de Nomine Suavissimo Jesu: De nocte verò ante cubitum Lytanas de Nomine Mariæ. Sic erimus nunquam sine Jesu, & Maria. Amari, teneri, stringi volunt: Chare! & id possumus. Ergo amicis respondeamus.

II.

Subtrahit se hic innocens parvulus sui aliorum, ut secum versaret divina & cœlestia. Sed en! præmium recollectionis. Solum cum Deo agentem in forma pueri speciosissimi salutat Jesus, seque aureis in fronte prodit literis. Hæc delectant? Fili! sensus claudamus, & gustabimus dulcedinem recollectæ mentis. Inimica virtuti est multorum conversa-

versatio : In vitia alter alterum trudemus :
Nullum præter nos ipsos postulo testem.
An non quoties fuimus inter homines,
redivimus minores, tepidiores, tristio-
res ?

Instructio meritoria.

In quieta anima, non in corpore dis-
soluto solida virtus est posita. Utamur
igitur recreatione parcius, huicque me-
diam subtrahamus horulam, vel pro stu-
diis, vel pro precibus coram Sanctissi-
mo Venerabili clandestinè applicandam.
Commendo & frequentiozem usum tri-
umphalis tituli : *Jesus Nazarenus, Rex*
Judæorum. Quò manè, meridie, &
vespere post signum Salutationis Ange-
licæ nos quàm devotissimè muniamus.
Si Jesus in fronte, quid poterit impetus
Satanæ ?

III.

S Edmundus, cùm de peccato audi-
ret discursum, consuevit dicere : *Si*
mihî daretur optio peccati, vel inferni,
continuo in infernum exilirem. Dilecte
mi ! Oblatâ occasione quid nos eligere-
mus ? Si discursus vanos, inutiles, nuga-
torios,

torios, & sæculares : profectò fratrem, Jesum Christum repellimus à latere nostro, quasi dicentes: *Non hunc, sed Satanam.*

Instructio meritoria.

Fides nobis deest, deest & radicalis horror peccati, quia per linguam toties recidimus in vitia antiqua. Ita planè *difficilius est, tacere nōsse, quàm loqui.* Ut S. Edmundi meritīs lingua non loquatur nisi quæ pro Dei gloria, & proximi salute, *psalmos pœnitentiales* vel unâ die simul, vel successivè per hebdomadam absolvamus, memores moniti Christi: *Ex verbis tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Math. 12.

**Dies S. Gertrudi Magnæ ex Ord.
S. P. Benedicti Virgini Seraphicæ
sacra.**

EXHORTATIUNCULA I.

FRatres sumus tantæ Virginis, quam Deus dilexit in charitate perpetuâ, quam & ab infantia sibi attraxit, & in solitudinem vocavit, sibi que desponsavit in fide, & in misericordia. O
quot

quot Divina in una Gertrude charif-
mata.

Instructio meritoria.

Soror hæc nostra impetrabit & nobis.
At recedere oportet à sæculo, & solita-
riè cum solo conversari Deo. Nam no-
bis est dictum illud Arsenii? *Fuge! tace!
quiesce!* Fiat per hodiernam Confessio-
nem, & strictissimi silentii observantiam.
Dum Deus loquitur ad cor, taceat ho-
mo! Pie & sanctè vivere ut sciamus in-
ter homines, discamus antea silere, &
agere inter Dei Cœlites.

II.

IN Corde Gertrudis invenietis me, di-
cit Dominus: *Complacuit sibi in illa
anima mea.* Et unde? Quia constanter
adhærebat dilecto suo, & unus cum illo
spiritus erat. Respuit cor divisum Spon-
sus divinus. *Si quis non amat Dominum
Jesum, anathema sit.* S. Paulus. *Sit Je-
sus confabulator noster! Sit contuberna-
lis noster & conviva, imò Christus ipse
sit nostra delicia.* Dam.

Instructio meritoria.

Recolligamus proin cor nostrum,
præ-

præsertim dum vel sacris exercitiis, vel divinis officiis, & precibus assistendum. Doleamus de nostris evagationibus, & satisfaciamus per horam integram coram Sanctissimo Altaris Sacramento flectendô, & variis devotionibus nos occupandô. Recitetur hodie *Officium de Dulcissimo Corde Jesu*. En! ardet in obsequium cordis nostri. Accedamus! cessabit frigus, dum incaluit intra nos ignis Divinus.

III.

CRedimúsne S. Gertrudem, Sponsam Deo acceptissimam sinè infirmitatibus, angustiis, & pressuris fuisse vitæ præsentis? Minimè! ô fili! sustinuit innocens Virgo gravissima. Sed inde non languor, vel tristitia, sed spiritus gaudia orta sunt insolita. Fallimur dilecte! Si inter prospera duntaxat lætamur. Secura est expectatio perpetuæ jucunditatis, ubi est participatio Dominicæ Passionis. S. Leo. Sit nobis vivere patiens Christus, sit & pro eo mori, lucrum.

Instructio meritoria.

Fili! alia erit quondam rerum facies
pii

p̄ii nunc plorant ! imp̄ii undique exul-
 tant. At *lugeamus nos, dum gaudent*
illi, ut, cum ipsi lugere cœperint, gaudea-
mus. Tertull. Pro augmento patientiæ,
 & fortitudinis in honorem S. Gertrudis
 15. *Pater & Ave* expansis brachiis ore-
 mus in ecclesia, jungendô Psalmum : *In*
convertendo Dominus captivitatem Sion.
 Charissime ! *Delicati nimis sumus, si vo-*
lumus modò gaudere cum seculo, & po-
stea regnare cum Christo. Hæc impli-
 cant.

Festum S. Mechtildis Virginis
 Christo, & Beatissimæ Cœlitum Re-
 ginæ gratissimæ.

EXHORTATIUNCULA I.

Vix nata jam cum morte luctari cœ-
 pit puella hæc Deo in Sponsam de-
 lecta. At revixit ad fontem sacri Bapti-
 smatis, ubi & animæ, ac corporis recepit
 sanitatem. Fili ! quid nobis contigit
 in S. Baptismo ? Quàm rarò collatæ fui-
 mus memores gratiæ. *Per Baptismum*
oves Christi incepimus esse. Baptismo
jam vita respondeat. S. Aug. Vita sic
 mun-

munda, spiritualis, & sancta. Nam *Baptismo* semel accepto *deliciis* (viciis & immunditiis) *non est vacandum* amplius. S. Chrysostomus.

Instructio meritoria.

Pro institutione omnium Sacramentorum præsertim sacri Baptismi, & Pœnitentiæ, uti & SS. Eucharistiæ in templo recitemus unum supererogatorium Rosarium cum Psalmo: *Confitemini Domino, quoniam bonus.* Minuuntur favores, & beneficia, dum turpi oblivione tepeliuntur.

II.

O Fili! quis Mariam non diligit? Hodie amanti Mechtildi cor Filii sui Sanctissimum attulit, & in cordis sui sinu recludere, ac servare iussit. Quantum thesaurus! Offeritur & nobis. Accipiamus: Sed castè, ferventer, & angelicè vivendò. *Nemo, quàm bene vivat, sed quamdiu, curat; cum omnibus possit contingere, ut bene vivant; ut divi nulli.* Seneca.

Instructio meritoria.

Cor Jesu asservatur in Sanctissimo Al-

caro

taris Sacramento. Properemus ! salu-
temus ! veneremur recitandô officium
aut de Suavissimo Corde Jesu, aut de SS.
Venerabili, aut spiritualiter communi-
candô per Rythmum : *Anima Christi!*
Sanctifica me. Caveamus ne cor impu-
rum attulerimus ! Alioquin *sumemus de*
sacrificio pœnam, qui fecimus de propitia-
tione peccatum. Salvianus.

III.

Fili ! suaviter mori discamus à S.
Mechtilde. Hæc animam in cor Je-
su transpirare cupit. Hinc & meruit Je-
sum ipsum sibi videre assistentem, & ad
beata invitantem gaudia his verbis : *Veni*
Benedicta. Sic moriuntur magni Be-
nedicti filii, & filia. Chare ! desidera-
mus dulciter, & benè mori ! Nunc il-
lud agamus ; ibi & tempus, & facultas
deerit, corporis ubi unà & animæ vires
languent. Alia aliis tutius commitemus
negotia. Hoc unum ita est nostrum, ut
nisi nos ipsi curemus, curare possit nemo.

Instructio meritoria.

Pro condigna ad mortem præparatio-
ne, vel in cellula, vel in Ecclesia abscon-
diti

diti nobis ipsis quasi jamjam morituris
prælegamus *commendationem animæ*. O
si & singulis mensibus continuaremus
industriam, plurimis jam summè profi-
cuam! Fiat! Fiat! Audiemus in præ-
mium pietatis: *Venite Benedicti!*

**Festum S. Corbiniani Episcopi
& totius Dioceseos Frisingensis Patroni,
& Thaumaturgi miraculis clari.**

EXHORTATIUNCULA I.

S. Corbinianus jam à prima ætate illud
Ecclesiastici mente imbiberat altà:
*Fili! quanto magnus es, humilia te in
omnibus.* Potentia enim Dei à solis ho-
noratur humilibus. Et de nobis quan-
ta mi fili! præsumimus? Ah! *quis ut
Deus?* Miser est homo! Sibi nec digiti
mensuram, nec vitæ momentum, nec
mento pilum adjicere potest, utut velit.
Quidquid potest, exiguum, nec magnâ
curâ dignum est. Fidamus illi, qui sem-
per idem, ubique potens, nos in singu-
lis juvare potest.

Instructio meritoria.

**Humilitas eluceſcat ex omnibus sen-
sibus,**

fibus, membris, & actionibus nostris. Ideò ubi stamus, oramus, & ambulamus, semper inclinato capite, & oculis quàm modestissimís nostrum ædificemus proximum, *ter* recitandò cum Magistra Christianæ submissionis & modestiæ, seu humili Maria: *Magnificat anima mea Dominum.* Dominus hic solus est! humilietur capita!

II.

Miremur zelum & Christi spiritum in S. Corbiniano. Grimoaldo Baviaræ Duci potentissimo, uxorem fratris in conjugem assumenti identidem ingeminabat: *Non licet.* O felix anima! Cui respectus non dominatur hominum. Certè in hac sola regnum est Dei. Quale in nobis? O nos favorum humanorum nimis avidos! Mortalium favori quisquis fidit, innititur arundini. Stat equidem; ac proximo levioris ventis impulsu ruet instabilis. Verba dant mellea! Rarò tamen vera.

Instructio meritoria.

Dum inordinati appetitus, desideria frivola, cupiditates infrunitæ impugnant nos,

nos,

nos, quantocyus utamur S. Corbiniani
tessera: *Non licet. Deum colo, & ipse
soli servio.* Pro impetranda hac liber-
tate regiâ addamus S. Ignatii orationem:
*O Deus! ego amo te; nam prior tu am-
asti me cum psalmo: Ad Dominum cum
tribularer, clamavi.* Abjecti animi
ad omnem adversitatis, vel tentationis
ventum trepidant.

III.

Quidquid hic Dei famulus S. Cor-
binianus aggreditur vel pro Dei ho-
nore, aut proximi, & ecclesiæ uti-
litate, id ipsum flexis genibus omnipo-
tentia, sapientia, & Bonitati Divina
ferventissime commendabat. Hinc
tanta prodigia. En! causam, quod
nostri successus tam multi infelices. No-
bis confidimus: Deum verò negligimus,
contempnimus. Sed quid hinc nobis, O
fili! Xaverius Magnus? Ita in omnibus
ait fidendum Deo, ac si solus omnia sine
nobis optatum ad finem deducturus sit;
eam tamen jungamus industriam, qua
si res tota nobis sine Deo peragenda in-
cumberet.

Instructio meritoria.

O insignem nostra gloriosè auspican-
di negotia doctrinam, ac methodum!
Imitemur, & quæcunque nobis tractan-
da, nunquam inchoemus nisi invocato
anteà auxiliò divinò, quod *vel tribus*
ave, & totidem Gloria Patri &c. Auc-
hymno: *Veni Creator Spiritus.* Com-
modè fieri potest. Ad magna requiri-
tur Excelsi dextera.

Festum S. Felicis de Valois Or-
dinis sub titulo SSS. Trinitatis pro-
pagatoris zelosissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

O Nobilem parvulum! Infantulus
adhuc manu propriâ nummos di-
stribuit egenis, & ex appositis in mensa
dapibus eos recreavit. Dilecte! quis
sensus noster, si & à parvulis superamur
in charitate, & abstinentia? *Gratis mi-
sericordiam sperat, qui misericordiam
non fecerit.* Chrysostr. *Nunquam va-
cua est manus à munere, si arca cordis
repleta bona voluntate.* Hanc dedit
Deus: cur adeò otiosa?

Ee

In-

Instructio meritoria.

Pauperem Jesum ubique habemus nobiscum. Ergo pascamus, & sustentemus sollicitè, præcipuè in mensa, ubi cuilibet cibo partem subtrahamus, & Crucifixo offeramus. Aliquid à nobis petentibus, si in re, & effectu non possumus, bonum saltem verbum, & charitatis præstemus obsequium. Pro impetranda charitate, & abstinentia visitemus defunctos in cœmeterio cum vesperis ex officio: *In carcere eram, & venistis ad me.* Matth. 25.

II.

S Felix Ordinem pro liberandis è tyrannica potestate captivis fidelibus novum excogitavit, quem & Deus, ac Beatissima Virgo Maria benedixit. Amor proximi ubi non est, ibi nec Cœlicum assistentia. *Mi fili! Qui non diligit fratrem, quem videt: Deum, quem non videt, quomodo diligere poterit?* Joan. 4.

Instructio meritoria.

Rarò recordamur captivorum: tamen nos profiteamur Christianos? S

mus in opere, & pro redemptione eorum oremus 34. *Pater & Ave* cum psalmo: *In Convertendo &c. Domine! da nobis animas!*

III.

S Felix vidit Mariam in medio Chori, S. S. Ordinis sui habitu vestitam, & Cœlitibus sociatam laudes concinere divinas. Chare! tanti est in cœlo, jugiter, devotè, & ferventer assistere choro. Et ò dolor! Quoties non frequentatur cum tœdio! multum temporis datur corpori, parum animæ. Verùm *abjiciantur omnia, quæ presentem vitam faciunt brevem occupationi, longam dolori.* Eucherius.

Instructio meritoria.

Excutiamus generosi torporem, si quis attentaverit irrepere ad horas Canonicas, & ad Divina Officia primi comparere satagamus. Porrò ut in omnibûs Ecclesiis, ac Dei templis purè, sanctè, & fervidè decantetur Laus Domini, rogemus sanctissimam Trinitatem per *duodecim Ave*, & totidem *Gloria Patri*. Adjunctò psalmò: *Quam dilecta tabernacula*

652 XXI. Novembr. Præsentationis B. V. M.
macula tua Domine virtutum. Non de-
simus officio nostro; nec Deus deerit
suo.

Festum Dulcissimæ Præsentationis
Beatissimæ Virginis Mariæ.

EXHORTATIUNCULA I.

Malè vivit, qui cupit duobus servi-
re Dominis. Maria se soli devo-
vet Deo, & quidem trimula. Dilecte!
à Matre, à Maria vel hodie discamus, cui
imposterum nos solos impendamus.
Deus est. Dixi fatis. *Gustate, & vi-
dete, quoniam suavis.*

Instructio meritoria.

In templo facta est præsentatio. Fiat
& ibi nostra. Eamus igitur, & per qua-
drantem coram Sanctissimo Venerabili
per renovationem aut formulæ Marianæ,
aut formulæ S. Professionis nos Deo ex-
toto consecremus, & donemus. Clau-
sula sit *Te Deum Laudamus.* Fili! nos,
& nostra dare Deo, nihil magnum est;
nihil enim damus ex nostro: reddimus
ei, cujus sunt.

II. Quid

II.

Quid obrulit Maria? Quidquid habuit, quidquid & potuit, dedit se totam. Hoc Mater? Filii est imitari. Cor nostrum non dividamus inter Jesum, & fatale sæculum. Jesu sumus! Hic mori voluit pro nobis. Quid autem mundus? Contemnamus, fugiamus. Nostrum dignus non est. Vitam offert: & acceptantem enecat. O Maria! tu partem elegisti optimam. O si & nos tui clientes, & filii.

Instructio meritoria.

Sed quomodo nos totos dedicabimus Christo, sublatâ omni cordis divisione, nisi constanti illius memoriâ? Hanc jugiter fovebimus, si à pectore Crucifixum semper, & ubique habeamus socium, & comitem nobiscum, sæpius suaviter apprimentes cordi, & supplicantes cum Divo Augustino: *Domine Jesu! noverim me! noverim te!* Pro clausula sit psalmus: *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus.* Scire omnia, & nescire Jesum, est perire perpetuum.

III.

QUOD Deo dedit semel Maria, dedit
semper, negavit nunquam. O
nos inconstantes! infideles! multa pro-
mittimus! Promittimus fervorem in
Divinis, patientiam in adversis, humili-
tatem in prosperis, constantiam in con-
trariis. Et eheu! dilecte fili! vix non
cadimus constanter. Abjecti animi ad
omnem difficultatem frangunt volunta-
tem sancti propositi.

Instructio meritoria.

Ad Mariam recurramus, & ut illius
meritis ac patrociniò fideles nos Deo
probemus filios, hoc pactum ineamus,
quoties pium neglexerimus propositum,
toties in sacro tribunali nos specialiter
accusemus, & accusandò extraordina-
riam in satisfactionem negligentiae à Ve-
nerabili Patre spirituali rogemus poeni-
tentiam. Taliter vivendò quis nos quo-
tidie negabit tendere ad Deum? Labi in-
firmitatis est; resurgere, poenitere, &
lapsum corrigere, sanctitatis.

Festum S. Elisabethæ Reginae
Pauperum Patronæ in Seraphico Or-
dine Clementissimæ.

EXHORTATIUNCULA I.

ERubescat humana mollities ad vi-
tam S. Elisabethæ. Tanta Regina
non contenta vigiliis, & duplicatis jeju-
niis, non rarò per manus ancillarum vo-
luit fortiter verberari, ut flagellato pro
se Christo vicem rependeret. Plus ultra!
dicit amor.

Instructio meritoria.

Nunquam inveniamur sinè sacris in-
strumentis, sinè ciliciis, & flagellis. So-
lus eorum contactus, vel aspectus persapè-
jam profuit ad humilitatem, ad poeniten-
tiam. Lectum his armis protegamus,
& si vel minima insurgat periculosa co-
gitationis titillatio, sine mora arripia-
mus. Fugiet Satan, si viderit vindictam
tam sanctam. Flectentes in nuda terra
ter tria Ave recitemus cum formula:
*Per Sanctam, & Immaculatam Conce-
ptionem &c. Nihil Mariæ resistit poten-
tiæ; nihil repugnat illius viribus; omnia*

cedunt tantæ Domine imperio. B. Greg. Nicom.

II.

Mortuô marito, quem propter virtutem adamavit fidelissimè, contristata est Elisabetha nec in minimo. Imò Divinæ se oppidò conformans voluntati exclamavit : *Te Deum Laudamus ! Nunc expeditior Jesum sequar. Fili ! nihil perdimus, si Deum, & virtutem semel possidemus. Quid peritura desideramus, nati ad immortalia ? Amare homines, à quibus amari possimus, vel non amari, res plena periculi : Amare Deum, à quo non possimus non amari, si amemus, hoc securissimæ felicitatis est.*

Instructio meritoria.

Tempore desolationis, pusillanimitatis, & ariditatis magnanimitatis animi, quantocyus manum Domini exosculantes, & psallentes : *Cum invocarem, exaudivit me Deus justitiæ meæ : In tribulatione dilatasti mihi. Fili ! stemus in sancto timore, quorum vita est in exilio, salus in periculo, finis in dubio. S. Aug.*

III. S.

III.

S. Elisabetha amore Christi, depositis omnibus sæcularis gloriæ indumentis, vili se vestiit tunicâ, & professa sacrum poenitentium Ordinem, patientiæ, & humilitatis omnibus fuit mirabile spectaculum. At meruit inde audire in mortis lectulo: *Veni electa mea ad æternum thalamum ab æterno preparatum.* Via ad cœlum non rosis, sed spinis strata est. Cur non advertitur? Charissime! Viatores sumus! Eundem est, non quâ placet, sed quâ licet. Nulli hîc quies indulgetur ante terminum.

Instructio meritoria.

Inter poenitentes vivimus! ut dignè, manè, & noctu Psalmum *Miserere* quotidie oremus, frequenter corda percuciamus, & dum soli sine arbitro, prostrato corpore culpam dicamus Deo, Mariæ, & omnibus Sanctis recitando: *Confiteor Deo omnipotenti &c.* poenitentia expectatur à reo: Cur negatur? *Non pudeat dicere, quod non puduit facere.*
S. Bernardus.

Festum S. Cæcilie Virginis, &
Martyris.

EXHORTATIUNCULA I.

QUam admirabilis Deus in vocatio-
nibus suis! Ut Valerianum tra-
heret ad fidem, operâ, & Virginitate
utitur S. Cæcilie. Et vicit Virgo san-
ctissima. O quis non honoret S. Cæci-
liam, cujus precibus donavit Deus vix
non jam deperditam Valeriani animam?
Fili! & hoc oro à vobis, *ut charitas ve-
stra pro lucro animarum magis, ac ma-
gis abundet.* ad Philipp. 1. 8. Quid ani-
mâ, omnibûs mundi thesauris excellen-
tiore, nobilius? Misere mini!

Instructio meritoria.

Cùm igitur adhuc sint innumeri, qui
periclitantur de statu salutis, viscera in-
duamus misericordie, & pro eorum ju-
stificatione, ac salvatione offeramus S.
Rosarium dolorosum. Charitas operit
multitudinem peccatorum.

II.

S. Cæcilia jejuniô, & ciliciô per tri-
duum continuatô ad nuptias sese
præ-

præparavit, & disposuit. Quid mirum, si præservata ab omni puritatis periculo. Hi modi sunt, quibus servatur puritas mentis. Si horreamus, cademus! *A nobis ultionem sumamus; ita placabimus Judicem*, ne præservationis subtrahat gratiam. S. Chrysoft.

Instructio meritoria.

Nuptiæ & nobis quoties parantur angelicæ in Ecclesiis? Ad has nos, animasque nostras disponamus per accuratum silentium, aut aliquale jejunium præmittendum, aliudque rigoris genus à Ven. Patre spirituali fortè concedendum. Si malè corpori, animæ erit suavissimè. Non nisi per sanctum sui odium acquirimus amorem Dei perfectum. Recitetur Psalmus: *Domine ne in furore tuo arguas me.*

III.

NULLI non sufficit gratia ad destinatam cuilibet sanctitatem. Eam tamen, ut solerter augeat homo, decet. Auxit profectò Valerianus, qui à castitate ad Baptismum, à Baptismo ad Martyrium, à Martyrio ad coelum gradum fecit insignem.

E e 6

nem.

nem. Dilecte! quot gratias aut negligimus, aut rejicimus? Rectè novit cum gratia negotiari, qui didicit sanctè timere.

Instructio meritoria.

Pro doctrina sit nobis effatum Doctoris Melliflui attestantis: *Omnes nobis causamur deesse gratiam; sed justius ipsa conqueritur, sibi deesse plurimos.* Quoties & nos ô fili! inter illos? Satisfaciamus, & ut in gratia finali decedere mereamur, hodie *Lytanias de omnibus Sanctis* persolvamus. Quàm beata mors, si pretiosa ut Sanctorum.

**Festum S. Catharinæ Virginis,
& Martyris studiosæ Juventutis Patronæ zelosissimæ.**

EXHORTATIUNCULA I.

QUæ virtus illa, quâ amici Jesu, Mariæ filii, & angelorum clientes evadamus dignissimi? Respondet nobis S. Catharina: Puritas, & vitæ innocentia. Et hæc quàm modicè curatur! Puritas pro nummis, pro teruntio anima, pro argenteis Christus, pro lucello venalis

lis stat cœli patria. Chare! præstat esse pauperem cum innocentia, & sanctâ vitâ, quàm cum impiâ ditissimum.

Instructio meritoria.

Fili! sapiamus, & quæque extrema pati pro innocentia firmiter statuamus. Pro custodia tamen margaritæ adeò pretiosæ recitemus officium minus de Immaculata Conceptione Beatissimæ Virginis Mariæ, aut si ad manus, de Gloriosa Martyre S. Catharina. Virgo Virginem colat, & diligat.

II.

Sapere, quæ æterna, & immortalia sunt: econtra spernere, quæ transeunt, suprema sapientia est. Hanc discemus mi fili! Si semper amaverimus Magistram cœlestis Sapientiæ S. Catharinam, à qua peculiariter supplicemus timorem erga omne peccatum, & amorem, ac desiderium in omne virtutis studium. Qui timet peccatum, inveniet Deum. Quid juvat multa scire, & clare litteris, si vita circumdata vitiis. Revolvamus sæcula! à nullo plus ruinæ sen-

fit publicum, quàm à doctis impiis. Scientia curanda post conscientiam.

Instructio meritoria.

Impetrabit S. Catharina, si triumphum, quò superavit heroina Victrix quinquaginta Philosophos, totidem *quinquaginta Ave, & osculis terræ* venerabundâ devotione recoluerimus. Fiat. Divina sic jubet sapientia. Hæc demissione docetur, & discitur. Cætera nescire utilius est, quàm scire.

III.

DEI Sapientia sedem posuit suam in sancta Catharina. Hinc tanta fides, zelus, & fervor pro Dei nomine, & gloria, ut nec solum ambierit imperatoris, nec rotam timuerit carnificis. O fili! cur tantam non stringimus, & novâ devotionis memoriâ non veneramur Magistram veritatis? Indigemus illius auxiliô, quia in virtutibus multùm vacui, & inanes.

Instructio meritoria.

In honorem novem litterarum, quibûs constat Nomen S. Catharinæ, instituemus novendiale, & quotidie *novem Pa-*
ter

ter & Ave cum oratione de hujus Festo
recitemus, nectendô Sapiientis suspirium:
Da mihi, Domine! sedium tuarum assi-
stricem sapientiam, ut mecum sit, & me-
cum laboret; & sciam, quid acceptum
sit coram te. Sap. 9.

Festum S. Sylvestri Abbatis, &
novæ Congregationis Fundatoris
zelosissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

AD conspectum emortui cadaveris
totus immutatur Sylvester, & de-
fertis omnibûs, in solitudinem properat.
O quid non potest seria mortis memo-
ria? Unicum temporis momentum,
quod nobis pandet æternitas, utinam
omnes totius vitæ exhauriat cogitatus, &
curas! Quot non hodie festa celebrant
jocalia, cras futuri funera! Fili! quid si
& nos?

Instructio meritoria.

Mori non timet, qui dolenda non egit.
Cœmeterium visitemus, & pro requie
defunctorum, atque expeditâ nostrûm
ad mortem dispositione frequenter ore-
mus

mus Vesperas ex officio defunctorum.
Inspiciamus tumulos, & aliter vivamus!

II.

BRuta obediunt homini: Et cur homo resistat Deo? S. Sylvester lupum pro custode habuit cellæ suæ, ad nutus tam promptum, ut vinceret hominem. Erubescat hîc superba, concumax, elata voluntas! Fili mi! omnis inquietudinis nostræ cardo est, vel quia sumus, quod non volumus, vel quia volumus, quod non sumus. Clariùs dicam: deest, quod cupimus; adest, quod odimus. Hæc causa dolendi. Nil tutius, nil securius, quàm optare, nobis imperari ab aliis, & imperantibus ex animo obtemperare.

Instructio meritoria.

Exerceamus aliquot abnegationis actus circa ea, quæ vel quoad recreationes, vel alia corporis commoda hodie possent contingere; recitemus quoque Psalmum: *Nonne Deo subjecta erit anima mea?* Nostra agenda sunt cum Christo Jesu, qui de seipso: non veni facere voluntatem meam, sed ejus, qui misit me.

III. A

III.

A Malo dæmone præcipitatur Vir Domini de loco sublimi. Sanitatem undique desperatam quis dedit? Maria, quam intimè dilexit, & coluit. O igitur felices, qui sub tantæ Matris vivunt præsidio! De hoc quid nobis Richardus à S. Laur. *Justitia Filii*, ait, & *Misericordia Matris altercari videntur*. Nam cum *Justitia Filii* dicit: *ego occidam, & percutiam*: *Misericordia Matris* respondet: *ego vivere faciam, & sanabo*. Grande solatium pro Filiis Evæ!

Instructio meritoria.

Quoties transibimus imagines Beatissimæ Virginis Mariæ, ore, & corde clamemus: *Ave Maris stella, Dei Mater alma &c.* Ad Mariam enim respiciunt (sententia est Hugonis Card.) & qui habitant in cælis, & qui degunt in purgatorio, & qui vivunt in hoc mundo. Primi, ut resarciantur; secundi, ut eripiantur; tertii, ut liberentur.

Festum

Festum S. Virgilio Episcopi Sa-
lisburgensis.

EXHORTATIUNCULA I.

Sanctè cupimus vivere? Modum do-
cet S. Virgilius. Sobrius vixit cum
seipso, justus, & pacificus cum proxi-
mo, pius, & zelosus pro Deo. Fili!
en! compendium sanctitatis! citò arri-
piamus! implebimus omnia, si nun-
quam, vel rarò, idque cautissimè atten-
derimus ad ea, quæ sunt ad extra.

Instructio meritoria.

Ut vitam adeò sanctam, & felicem
obtineamus, novem nobis constitua-
mus actus, tres in temperantia, tres in
dilectione proximi, & tres in fervore di-
vini servitii tempore sacrorum exercitio-
rum fidelissimè Deo uni & trino offeren-
dos. Pro clausula sit Psalmus: *Quam
dilecta tabernacula tua, Domine De-
us virtutum. Tessera: Tres sumus!
& tres sufficimus.*

II.

Cuique suum tribuit cultor Justitiæ
S. Virgilius: Superiori obedi-
tiam,

ciam, æquali Charitatem, minori humilitatem, & reverentiam. Talibus verò illud Angelicum competit Canticum: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Huc spectant dæmonis consilia, ut nos solliciti, atque anxii, neque nobis ipsis, neque aliis, quibuscum conversamur, simus emolumento. Ad quid autem hæc damnificatio?

Instructio meritoria.

Coram transeuntibus detegere, caput humaniter inclinare, & mentaliter salutare: *Benedictio Dei Patris, & Filii, atque Spiritûs Sancti descendat super te, & maneat tecum semper.* Pro suffragio charitativo oremus *quinque Pater, & Ave*, sæpius intra vulnera Jesu fraternam charitatem commendandò, vel ab iis instanter rogandò. Vulnera Domini sunt fontes genuini, & solidi amoris.

III.

CHristiana signa ex ultima Hibernia in Germaniam transtulit S. Virgilius, Vir in fidei ardore, & zelò per omnia associandus Apostolis primis. *Dilecte*

lecte fili! Possumus & nos rem maximè
augere Christianam. Quomodo? Vir-
tutis exemplò. Divinum aliquid est,
posse aliis prodesse. Mundus totus Xe-
nodochium est, in quo tot morbi reg-
nant, quot vitia. Heu! quàm peritos
tam subtilia mala & tempora Archiatros
desiderant! Tot ad frugem perditos re-
ducimus, quot virtute nostrâ ad viam
Domini allicimus. O nos crudeles, si
id renuamus!

Instructio meritoria.

Ut ex sacris Religionibus, præsertim
Familiâ SS. Patris Benedicti indies pro-
deant viri Jesu Christi, & Apostolorum
spiritu pleni, sæpiùs recitemus *duodecim*
Pater, & Ave cum totidem *Gloria Pa-*
tri &c. & collectâ ex Cursu Mariano
notissima: *Sancti Dei omnes intercede-*
re dignemini pro nostra, omniumque sa-
lute.

ψ. Lætamini in Domino, & exultate iusti.
ιψ. Et gloriamini omnes recti corde.

Oremus.

Protege Domine populum tuum: &
Apostolorum tuorum Petri, & Pauli, &
alio-

aliorum Apostolorum patrocinio confidentem, perpetuâ defensione conserva,
Per Christum Dominum nostrum.
Amen.

Festum Gloriosissimi, & Invi-
sissimi Apostoli S. Andreae.

EXHORTATIUNCULA I.

Flli! possumusne & nos cum Divo
Andrea gloriari: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione.* O utinam! at potius con-
tristamur; quia in homine nostra quaerimus gaudia. Miramur, nos non magna operari. Causam habe mi chare!
Quia non magna speramus de caelo. Tantum per nos operabitur Deus, quantum se nostra in eum protenderit confidentia. Dextera Excelsi nobiscum! hanc apprehendamus: & rebus etiam perditis, omnibusque hominibus nos persequentibus, erit, qui & nos servet, protegat, & salvet.

Instructio meritoria.

Curramus (si hominem quaeramus)
ad Sanctum Andream, & ut suam nobis
coram

coram Deo promereatur in patiendo consolationem, S. Rosarium de mysterioribus dolorosis offeramus. Non est gloria nisi in gloria Domini.

II.

S. Andreas vocatus à Christo, statim relictis retibus secutus est eum. *O statim!* quàm hominibus es rarum, dum pro Deo, vel proximo quid boni operis, aut charitatis præstandum! Quæ facienda sunt, præstat citò expedire, ut & curam amoveamus, & facti lætemur conscientiam. Qui citò dat, bis dat; geminat facti laudem celer executio. Quoties nocuit distulisse? Puncto sæpe verifatur æternitas; & momentò unicò salus negligi potest perpetua.

Instructio meritoria.

Abnegatio nobis necessaria est voluntatis propriæ. Vocati ad quæcunque obedientiæ opera, hodie statim prope-remus, etiam iis imperfectè relictis, quæ prius erant sub manibus. Ad tria Salvationis Angelica signa flectamus in sancto timore, & devotione summa recitemus: *Angelus Domini. Ecce Ancilla Domini.*

Domini: Et Verbum Caro factum est.
 O quanta in his latet Jesu, Mariae & An-
 geli obedientia! & illam moretur, aut
 renuat homo?

III.

Charissime! Crux Andream, non
 Andreas Crucem portavit. Non
 sentit manum Dei ferientis, qui eam fre-
 quenter exosculari didicit. Nil labori-
 osius in mundo voluntate rebeli, impa-
 tiente, & reluctante. Impatentia nulli
 medetur malo, nullum extenuat, omne
 augmentat; non aliâ hoc, quàm feren-
 dō arteminuetur. Nolendō pati, ma-
 lum addimus malo. Quis ò Bone! no-
 bis inferet quid mali, si, quod infertur,
 numeremus inter bona? Ita numeravit
 S. Andreas! hinc spectaculum factus pa-
 tientiae Christianorum.

Instructio meritoria.

Tempore tribulationis cum sanctis
 Apostolis, & Martyribus frequenter di-
 camus: *Deo gratias!* ò quàm proficua
 hæc foret exercitatio, dummodo quo-
 tidiana! Ut obtineamus, hodie unum
 quadrantem pro lectione de patientia
 Chri-

Chri-

Christiana assumenda nobis peculiariter determinemus, & pro immisissis hactenus tribulationibus cunctis *quindecim Pater & Ave* cum psalmo: *Deus in adiutorium meum intende* persolvamus. Hæc maxima hominis gloria, gloriari in Cruce Domini.

Festum Beati Joscionis insignis
Mariophili.

EXHORTATIUNCULA I.

O Fili! novum audiamus Mariam amoris inventum. Beatus Joscio tot Psalmis, quot constat litteris, quotidie honorat Nomen Mariæ. Sic amor oriatur nunquam. Semper nova & nova excogitat pro Deo, & Maria.

Instructio meritoria.

Non degeneremus à cogitationibus tam excelsis, & omnibus saltem Sabbatis, acque Profestis Reginae Cœlorum illis quinque Joscionis Psalmis: *Magnificat: Ad Dominum: Retribue: In Convertendo. Ad te levavi,* honoremus Mariam. Addamus in fine Antiph. *Sub tuum presidium* cum collecta: *Concede*

cede nos famulos tuos. Hoc Mariæ privilegium est, ait S. Bonaventura, quòd quidquid post Deum dulcius, quidquid jucundius in gloria est, hoc Maria, hoc in Maria, hoc per Mariam est.

II.

Velocior nonnunquam est salus memoratò Nomine Mariæ, quàm invocato Nomine Jesu. Mira potentia, & tamen Nomen utrumque quàm sæpe inhonoravimus, malè, vanè, abusivè pronuntiandò. Quasi nulla distinctio inter nomina brutorum, & Nomina Jesu, & Mariæ Jesus & Maria hi clypei & gladii, quibûs in morte pellitur hostis animæ, & locus paratur gloriæ.

Instructio meritoria.

Ut satisfaciamus, & irreverentias compensemus, hodie Lytanas tam de Nomine Jesu, quàm Mariæ ardentè ore-mus, & quoties pronuntiari audiamus, cito detegamus, & inclinatò capite mentaliter salutemus dicentes: *Vivat Jesus amor meus! Vivat & Maria pia Mater ejus!* Tristamur? Desolamur? Veniat in Cor Jesus! Veniat & Maria!

Ff

III. Quid

III.

Quid hoc? En! prodeunt à capite
mortui Beati Joscionis quinque
Rosæ purpureæ, & aureis litteris
signatæ. Legamus fili! Sed ô novum
prodigium! Nomen exprimunt *Maria*.
O insigne Cultûs Mariani præmium!
Summus honor, summa gloria, & sum-
ma utilitas est servire Mariæ. Et de ejus
esse familia. *Damascenus.*

Instructio meritoria.

Placétne assequi? Consecremus sen-
sus, corpus, & animam Mariæ recitando
hodie quàm ardentissimè formulam vo-
tivam cum Rythmo sancti Casimiri:
Omni die dic Maria, mea laudes anima
&c. vel hujus locò novies repetamus
Canticum: *Magnificat.* Laus sanè Ma-
riæ omnem prorsus excedit Laudem.
Mariæ omnis creatura in coelis, ac terris,
& apud inferos reverentiam, & cultum
offert convenientem. S. Greg.